

RHODOLPHVS DE ERLACH BERNENSIS.



R Hodolphus ex nobili familia Erlacensi apud Bernenses natus & educatus fuit. Hic insigni corporis et animi fortitudine praeditus, aliquandiu Cæsarum castra sequutus est, atque sua uirtute impetravit, ut auratus eques constitueretur. Postea dum rediens, aliquandiu in aula comitis de Nidau permanxit, atq; res sibi commissas fortiter ad ministrauit. Accidit autem eo tempore ut Rhodolphus comes de Nidau, Ludouicus comes Sabaudiae, comes Nuenburgensis, et Eberhardus comes in Valendis, cum multis baronibus & nobilibus contra rem publicam Bernensem, urbem sibi odiosam, conspirarent, atq; ciues iam armis oppugnare statuerent. Id cum Rhodolphus eques & ciuis Bernensis intellexisset, comitem accessit, atq; ei indicauit, se se contra Bernenses pugnare non posse, præsertim cu omnia sua bona Bernæ collecta haberet, quod si uero comes ea bona (si forte amitterent) restituere uellet, se se apud eum permansurū, atq; strenui militis officio functurum.